



ANNUS
APOSTOLICUS

1-2

BV30
L3
v. 1
t. 1-2

008523



1080015160



ANNUS
APOSTOLICUS

CONTINENS CONCIONES:

I. TOTO ADVENTU — II. TEMPORE QUADRAGESIMAE
III. OMNIBUS ET SINGULIS TOTIUS ANNI DIEBUS DOMINIOIS
IV. DE SANCTIS

PRÆDICABLES
STILO PERSPICUO ELABORATAS

CLARAQUE METHODO CONCINNATAS

AUCTORE R. P.

Fr. ZACHARIA LASELVE

*Sacra Theologiae Lector, necnon Provinciae Recollectorum
Sanctissimi Sacramenti seu Tolosanae alumnus.*

EDITIO REVERSA ET ADNOTATA A P. A. SARACENO PRESS. CONGRESS. ORD. TAURIN.

Volumen I.
Conciones pro tempore Adventus.



UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Valverde y Torre Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

AUGUSTE TAURINORUM
EX OFFICINA LIBRARIA ECCLESIASTICA
Eq. LAURENTII ROMANO EDITORIS

M. DCCC. LXXXI.

45160

BV 30

L 3

XL

L 22

Nihil obstat quominus praesens Editio Operis cui nomen: *ANIMUS APOSTOLICUS*, Auctore
P. ZACHARIA LAKSEVE, revisum ab admodum Reverendo P. A. SARACENO Presb. Congr.
Oratorii Taurini typis volgetur.

Augustae Taurinorum, die 22 Junii 1881.

C. CURUSO THOMAS *Provicarius General.*

L. + S.

Juribus servatis.



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

Taurini - Ex Typ. V. Bona.

RATIO OPERIS

Summopere quidem optandum ut omnes verbi Dei præcones
sedulo studio ac diutina meditatione divinarum scripturarum
illum sibi compararent doctrinæ sacræ thesaurum, quæ men-
tem atque cor eorum ita pervaderet, ut deinceps sive e suggestu
concionando, sive in catechesibus, sive in familiaribus collo-
quiis, sive in spiritualibus collationibus *eruciant verbum
bonum*, uti de se testatur Propheta, vel ut monet apostolorum
Princeps, *loquerentur sermones Dei*, ac proferrent verba
ignita, quæ evellant malas vitiorum radices, destruant impie-
tates, dissipent errores, ædificent spirituales domus Spiritus
Sancti, ac plantent hortum deliciarum cœlesti Sponso Christo
Domino. Hæc quidem munia doctoris evangelici satis superque
præstari possent assiduo studio illius sacri voluminis, quod certe
infinite thesaurus est hominibus, et fluvius egressus a fontē
Divinitatis, *quo qui bibunt adhuc sitiunt*. Nec enim fefellit qui
dixit: *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad do-
cendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum
in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum
instructus*. Re quidem vera, quod catholicum dogma, quæ morum

003523

disciplina, quæ virtus, quæ pia institutio, quæ asceseos regula, quivè apices perfectionis excogitari possunt, quæ omnia in sacris litteris vel firmum fundamentum non habeant, vel ab iisdem non perspicue tradantur, explicentur ac dilucidentur? Nec minus est mirari, quod concionator qui sedulam sacræ scripturæ addiscendæ operam navaverit, optimam addiscat methodum se accomodandi cujuscumque ingenio, ætati, institutioni, hominum, regionum, temporum varietati; quomodo rudiores ac simpliciores imaginibus ac parabolis erudiat; doctiores vero gravitate et profunditate eloquii ad divinarum rerum venerationem et amorem adducat. Ibi stylum simplex et sublime, planum et elegans; ibi quidquid ad eloquentiæ sacræ perfectionem facit, copiosissime habetur, adeo ut nonnisi leviores animos tædeat simplicitas sacræ scripturæ; sic enim rectissime de eloquentia SS. bibliorum scribebat Picus Mirandolanus: « Non movent, non persuadent SS. Litteræ, sed cogunt, agitant, vim inferunt: legis rudia et agrestia verba, sed viva, sed animata, flammea, aculeata, ad imum spiritum penetrantia, hominem totum potestate mirabili transformantia ». Hæc attigisse sufficient, ut quisque sacrorum minister sibi suadeat quod superius diximus, nil aptius fore, nil utilius divini verbi præconi, quam assidua lectio, meditatio ac studium divini voluminis. Quia tamen non omnium est ad ipsum fontem aquam sapientiæ salutaris haurire, ac sæpius valde salebrosus est opus et profundo puteo illam educere, ac omnibus pro sua cuique intelligentia ac siti spirituali distribuere, præsertim si contingat plures continenter sermones habere, diversisque ingenii homines res fidei et morum edocere; ideo plurimi difficultate deterriti, necessitate etiam impendente præpediti, quominus gravioribus et diuturnioribus studiis operam dent, ad rivulos, scilicet ad scriptores concionum, ad breves mo-

rales tractatus, ad sacrarum institutionum compendia accurrunt, e quibus levi vel nullo negotio hauriunt paululum sacræ doctrinæ ad mores informandos populi sibi commissi, ad communiores errores dedocendos, ad fidem excitandam. Utinam vero ad puriores rivulos attingerent hanc mysticam aquam, ad eos nimirum scriptores, concionatores, auctores rerum theologiarum, qui sive ab ipso fonte Spiritus Sancti in scripturis docentis, sive ab eorum fidelibus interpretibus SS. Patribus et Ecclesiæ Doctoribus doctrinam sacræ addiscentes, aliis fideliter ac *sine invidia* communicare satagerent. Certe nullomodo culpanda foret hujusmodi praxis. At valde dolendum non semper ad hos puriores rivulos accedere verbi Dei præcones, ac missis etiam vanis et forte ridiculis declamationibus, quæ sæculis elapsis in usu fuerunt, nunc vero, Deo dante, obsoleverunt; non tamen omni vitio caret in præsentiarum sacræ eloquentia. Plures enim nimium fidentes naturali dicendi copiæ, vix emenso studiorum curriculo, frequentiores conciones habere non formidant, potius suos conceptus eructantes quam verbum Dei. Alii plus æquo voluntantes libros philosophiæ, historiæ, politicæ, ethices naturalis scriptores quamquam bonos, sic e gestu sermocinantur ut quid humanum sapiat eorum sermo; poetarum, historicorum, philosophorum sententiis doctrinam morum, forsân et dogmata catholica tuentur, confirmant, quam multo melius et efficacius s. Scripturæ et sanctorum doctorum dictis firmare deberant. Nonnulli sibi sufficere existimantes quasdam theologiæ summulas vel libellos asceticos semel perlegisse, leviores etiam habent sermones, idem fere semper repetunt, ac nonnisi lac parvulis, non autem provectoribus solidum cibum præbere norunt. Alii demum facili memoria pollentes verbosas quasdam aut subtiles aut obsoletas alicujus sacri oratoris conciones memoria mandant, quos postea buccis

sonantibus declamant, quin attendant quid, quibus auditoribus et quando proferant. Hi quidem haud rari in sacro obeundo prædicationis munere defectus: horum causa fit, ut vix aliquis percipiatur fructus ex pluribus sermonibus qui pene quotidie in magnis urbibus habentur. Inde emergit necessitas iisdem medendi, si fieri possit, ac curandi ut tam salubre ac sanctum ministerium fructu suo non careat, et quo medio omnes gentes vel barbariores et efferatas ad Dei cognitionem et salutem pervenerunt, eodem catholice nationes in fide permaneant ac perseverent usque ad adventum Christi reddituri cuique juxta opera sua. Sollicitudo isthæc potissimum spectat ad pastores populorum, seu antistites, quibus divinitus commissum fuit ad salutaria pascua ducere gregem sibi creditum a noxiis autem et vanis arcere: antistites autem cum ex se ipsis non valeant tantam fidelium, cui præsumt, multitudinem edocere, merito in partem laboris adsciscunt sacerdotes, quos tanto muneri idoneos existimant. Ad ipsos ergo Episcopos spectat invigilare ac satagere ut sufficiente doctrina polleant concionatores, et qua par est ratione, qua majori fieri potest fidelium utilitate sacra prædicatione fiat. Nihilominus haud supervacaneum, imo pro eo quod *unicuique mandavit Deus de proximo suo*, debitum arbitramur manus adhibere tam arduo ac utili ministerio, aliquod subsidium ferendo optimis ac venerabilibus in sacerdotio sodalibus, qui erudiendis Christi fidelibus præficiuntur. Quamobrem etsi jam plurimum excreverit voluminum copia, quæ de rebus ad doctrinam fidei morumque spectantibus tractant, hæc tamen conciones P. Zachariæ Laselve in lucem iterum edere non veremur, quæ cum sæculo elapso prodierint, communi suffragio sunt exceptæ, atque a probatis quibusque sacre eloquentiæ regulis nil alienum continent. Præstant enim tum doctrinæ integritate e sacris Scripturis, ac SS. Patribus desumptæ; cui vix aliquando alio-

rum scriptorum dicta, et exempla miscentur; tum concinna methodo, perspicacitate, nec non illo lucido ordine, quem laudat poeta, quo nil utilius memoriæ juvandæ sive concionatoris, sive auditorum. Nil ibi est invenire nimis arduum, nimis implexum, quod tardioris ingenii mentes fatiget; nil vani eloqui, non inanum verborum abundantia, et descriptionum, quæ si aliquando aures demulcent, cor tamen mentemque sæpe sæpius vacua relinquunt. Hisce in concionibus non deest elegantia, atque dicendi copia, quin et ars oratoria, quam omnino negligere vel præterire haud decet ecclesiasticum concionatorem: nec enim ignorare debet quibus partibus constet sermo, quodque sit illius officium, nempe detertere a malo, suadere bonum, virtutes commendare, earumque praxim, fidem excitare, spem, caritatemque roborare. Cumque semper eadem sit hominum natura, quæ nec ratione tantum ducitur, nec minis, aut declamationibus movetur; vix aliquando atque ad breve tempus terrore concutitur; ideo probe noscat necesse est sacer orator sui numeris esse docere, delectare, movere; docere gravi sermone, ac solida doctrina, ut mentem illuminet, instruat, suadeatque: delectare, scilicet quadam etiam vonustate ac suavitate sermonis, exemplis, floribus rethoricis alliciat ad audiendam quæ naturali sensui non placent: movere autem ad bonum arduum virtutis, et avertere ab illecebriis sensuum, propositis illius præmiis, atque ob oculos exhibitis malis impendentibus vitio; imo et aliqua efficaciori dicendi vi ostendere quam suave sit diligentibus jugum Christi, quod multos deterret; quam e contra difficillis via vitiorum plenaque morroris ac dolorum, quam qui ambulant, cito lassantur, juxta propheticum dictum. *lassati sumus in via iniquitatis*. Hæc profecto oratoris munia, qui tamen artis quid nimium prodere non debet, ne alio distrahatur audientes; quod quam gravis momenti negotium sit,

et longo studio vix assequi quis possit, nemo non videt. Si qua ergo in collectione sermonum hæc dotes non desiderentur, eadem certo uti licebit omnibus verbi Dei præconibus, quibus nec tempus, nec vires, nec alia subsidia suppetunt gravioribus studiis incumbendi. Itaque ad rem facere præsentem collectionem, quæ recusa notisque aucta nunc iterum typis editur, confidimus.

Ut autem aliquid de hac nova editione dicamus; primum curæ fuit ut qua fieri potest emendatissima prodiret sive quoad litteras, notas et incisa, sive quoad citationes testum S. Scripture et SS. Patrum, quarum plures recognovimus, ac ideo correctæ habentur in hac nova editione secus ac fuerint in prioribus. Aliquid etiam emendare duximus in stylo, ne frequentiores repetitiones, et locutiones a latinitate nimis alienæ legentes, audientesve offenderent. Addidimus aliquas notulas, raras quidem ac breviores, ne nimium excresceret moles voluminum, aut videremur correctorem vel magistrum agere probatissimi auctoris. Hanc hujus editionis sermonum P. Laselve rationem explicuisse sufficiat; qua in re si quid proficuum Ecclesiæ ministris, ac animarum salutis perfectimus, totum Deo tribuendum, cui nostri cujuscunque laboris, ac boni operis laudem et gloriam referri cupimus: defectum vero veniam ab Ipso expectamus precibus etiam sodalium nostrorum obtinendam, quibus vel tantisper profuturos hoc nostro labore proptamus.

A. S. O. P.

ADVENTUS

DE DESTRUCTIONE PECCATI

CONCIO PRIMA

DE PECCATIS QUÆ IN CONFESIONE OCCULTANTUR.

Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaïæ, 27, 9).

Ut primum mihi in mentem venit de Christi Adventu desiderere, cur ipse in hunc mundum venerit sollicitè exquisivi, meque docuit a Christo dilectus Evangelista, eum in hunc mundum venisse, ut opera diaboli, seu peccata destrueret. Hæc ejus fuit intentio: hæc major illius fuit sollicitudo: ad hoc vigilæ, passiones, prædicationes, et omnia ejus opera spectarunt: *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli* (Joan. 3, 8).

Ecce cur Christus in hunc mundum venerit; et ecce itidem quo collimare debeant omnes conciones, quæ de Christi Adventu fiunt. Ille venit, ut peccata destrueret; et Concionatorum tempore Adventus prædicantium labores ad hoc potissimum dirigendi ut ex hominum cordibus peccata auferant. Hic est finis, quem sibi proponere, et fructus quem ex concionibus suis elicere debent: *Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum.*